



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXIX. De Parochiis, & alienis Parochianis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](#)

TITULUS XXIX.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Parochia, & quinam Parochiani.*
2. *An & quando possit vel debeat Episcopus non vam erigere Parochiam.*
3. *Jura Ecclesiae Parochialis.*
4. *Officium Parochi, & Parochianorum.*

I **P**arochia, vel paroecia, sumitur quandoque pro Ecclesia Parochiali, quæ nihil est aliud, quam Ecclesia alicujus dicœcesis, Cathedrali inferior, habens populum, certis limitibus auctoritate Episcopi distinctum, & simul unum presbyterum, Sacraenta præsertim Penitentiæ & alia spiritualia huic populo administrantem, qui vocatur *Parochus*, vel *Rector*, aut *Plebanus*. Quandoque autem sumitur pro ipso districtu, in quo degit populus certæ alicui Ecclesie deputatus. Qui in tali districtu domicilium, vel etiam quasi-domicilium, fixerunt, vocantur *Parochiani*, qui verò in eo domicilium non habent, respectu illius sunt *alieni parochiani*, non proprii. Prædicta sunt *Essentialia Parochiæ: Naturalia* verò, quæ quidem ordinariè adsunt, etiamen etiam *absolutè abesse possunt*, sunt fons baptis-

De Parochiis, & alien. Parochian. 119

baptismalis, assidua asservatio Eucharistiae, cele-
bratio Matrimoniorum, collectio decimarum,
cœmeterium & jus sepulturæ &c. sicut & cura
animatorum; cùm possit esse beneficium Curatum,
quod certis limitibus & populo ab Episcopo de-
signatis careat, ac ideo parochiale non sit, uti
fit in Ecclesiis filialibus, ut vocant, & in locis re-
cens conversis.

Dico 1. Episcopus potest, imò debet, exigen- 2
te animatorum salute, ubi populus ob locorum di-
stantiam vel auctam parochianorum multitudi-
nem ad unam Ecclesiam commodè pervenire, ibí-
que Sacra menta percipere &c. non potest, no-
vas parochias, etiam invitis Rectoribus, erige-
re, assignatâ novis Sacerdotibus ex fructibus ad
Ecclesiam matricem pertinentibus sustentatione.
Sic mandat Papa in *c. ad audientiam. 3. de ædif.*
Ecc. & Trid. f. 2 i. c. 4. de ref. potestatem ad id
facit Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ dele-
gatis.

Dico 2. Jura Ecclesiæ parochialis sunt. 1. 3
quod essentiale est, jurisdictio fori interni, seu fo-
rum pœnitentiale, in ordine ad absolvendos paro-
chianos à peccatis. 2. Fons baptismalis. 3. Jus
asservandi Eucharistiam pro moribundis. 4. Di-
spensandi Sacra menta Eucharistiae, Extremæ Un-
ctionis, ac solennizandi Matrimonia. 5. Jus Cœ-
meterii, & sepeliendi defunctos. 6. Jus perci-
piendi Decimas, & Oblationes. 7. Jus bene-
dicendi cineres, denunciandi Matrimonia, festa,
jejunia, Indulgentias. Et quando constat, Eccle-
siam esse Parochialem, illa, vel potius parochus,
habet ad recitata omnia intentionem fundatam

120 LIB. III. TITULUS XXIX.

in Jure. Communis. P. Engel h. t. n. 3. 4.

¶ Dico 3. Officium Parochi est suis Parochianis suo tempore prædicta administrare Sacra-
ta, rudes instruere in Catechesi, prædicare ver-
bum Divinum, celebrare Missas, præsertim die-
bus Dominicis & festivis &c. Trid. f. 24. c. 4. de
ref. &c. Imd & pro ovibus suis offerre Sacri-
cium. Trid. f. 23. c. 1. de ref. Sufficiet tamen, si
pro ipsis oret, & v. g. ad *Memento* illas com-
mendet DEO, etsi pro ipsis Missam non applicet.
Nav. Suar. Vasquez, Coninck, Lugo, Gob. & alii
apud La Croix. l. 3. p. 1. n. 762. alii tamen vo-
lunt, ut aliquoties per annum, saltem in majori-
bus festivitatibus (vel juxta alios diebus Domi-
nicis, aut etiam festivis) integrā Missam appli-
cet pro parochianis; quia sic ex una parte vide-
tur satisfieri Tridentino per congruam interpre-
tationem, & ex altera Parochus non percipit fru-
ctus, ut ad intentionem populi celebret, sed re-
tione pastoralis officii.

¶ Dico 4. Officium Parochianorum est percipe-
re Sacraenta, & audire Divina &c. in Ecclesia
Parochiali, vel à Parocho, præsertim Pœnitentia
saltem semel in anno, & Sacræ Communionis
in Paschate. c. 2. h. t. & c. 12. de Pœnitent. In-
terim tamen hæc obligatio audiendi Missam &
Verbum Divinum in Ecclesia Parochiali, item pec-
cata confitendi Parocho, hodie vel sublata, vel
saltem multū mitigata est partim per privilegia

Religiosis à Pontifice concessa, partim per
consuetudinem contrariam.

TITU.